

notandum, quod instrumenta duplicem agendi vim habeant, extrinsecam & intrinsecam. Intrinseca vis instrumentis per se competit. Extrinseca vero illis advenit aliunde. Nam instrumenta agunt quidem, ut autem hoc vel illo modo agant, id dependet à principali agente. Agunt igitur indeterminate, & sic determinationem accipiunt ab agente principali, qui ea applicat & determinat ad certum actionis modum. *Keckerman. Syst. log. pag. 133.* Ex quibus patet, errasse illos, qui instrumenta ex tribu causarum planè relegarunt.

DISQUISITIO XL

*An materia sit causa?*

Quamvis de causalitate materiae nemo saniorum Philosophorum haecenus dubitaverit: tamen ob majorem illustrationem hanc quaestionem ponemus. Thesis affirmativa est omnium saniorum Philosophorum ob rationes sequentes: 1. Materiae competit definitio causae. E. est causa. Causa enim definitur cujus vi res est. Atqui materiae vi materiae est, ut infra probabimus. 2. Materiam esse causam, suadent quatuor effecta, quae materiae ascribuntur. I. Quia est causa compositi. II. Principium quantitatis. III. Radix passionis. IV. Causa ut forma existat. *Hessel. in Log. pag. 121.* Unde talis syllogismus: Quicquid constituit compositum, ex quo emanat quantitas, ex quo proficiscuntur passionis & mutationes: item quicquid formae largitur existentiam, illud sanè ex causarum numero non est eximendum. Talis est materia, ut in specie probat doctiss. *Hessel. in Theoria sua log. pag. 122.* quò & ob brevitatis studium lectori remitto. 3. Probatur autoritate omnium Philosophorum, Platonis, Aristotelis, Scaligeri, &c qui materiam causam esse omnes uno ore fatentur. Sed objicitur 1. Passivum principium non est activum. Atqui materia est principium passivum. E. Respon. est elenchus oppositorum. Nam activum & passivum non opponuntur, sed subordinantur sibi invicem, quae de subtiliter disputat subtilissimus *Scaliger exerc. 102. sect. 3.* Actio est in patiente ut subjecto, in quo morat nomen & dicitur passio. Nominis igitur differentia inter actionem & passionem. Item *lib. de caus. ling. lat. can. 2. c. 2.* & passio simul aded sunt, ut unum multi existimarint: agens quoque & passiens simul sunt secundum formam, quin etiam secundum subjecta corpora, non necessario praestit agens, neque prius existit quam passiens.

Affirmans  
thesis re-  
cipitur &  
probatur  
his causis.

- 1.
- 2.

Objectio.  
Respon. ad  
Objectio.

Et alibi: Actio & passio unum sunt, & differunt tan-  
tū ratione. Hæc sub-  
tilitatis præco *Scalig.* Ex quibus sic argumentor. Quæcunque differunt  
pura ratione, illa non opponuntur. *Ramus in Log.* Ratio in promptu est:  
quia negatâ definitione negatur definitum. Jam opposita juxta *Ramus*  
sunt quæ differunt re & ratione. Atqui actio & passio non differunt re, sed  
duntaxat ratione, ut supra probatum. E. nec activum & passivum. Quia  
ut se habet forma ad formam, ita etiam formatum ad formatum, *Arist. lib. 1.  
de hist. amm. c. 1. l. 1.* Actio autem est forma activi, ut abstractum concreti.  
Materia igitur & activum & passivum est principium; passivum quidem  
respectu efficientis: activum verò respectu compositi, quod constituit, &  
respectu formæ, cui largitur existentiam. Objicitur. 2. Materia formam  
recipit. Receptio autem est passio, E. materia respectu formæ nullam ob-  
tinet causalitatem. *Avicen. lib. 6. Met. c. 4.* Respon. Materia eo ipso, dum for-  
mam recipit, patitur & agit; patitur respectu receptionis, agit verò dum  
formam receptam existere facit, quam ob causam *Scaliger ex. 307. l. 27. ait.*  
Passio materiæ per vocem activam enuntiatur, quando nimirum rece-  
ptiva dicitur. Unde sic argumentor: Omne receptivum respectu recepti-  
bilis, vel rei receptæ est activum. Quia receptibile est passivum. Jam verò  
materia est receptiva, quia recipit formam. E. respectu formæ quæ reci-  
pitur, activa est.

Objectio

2.

Resp. ad

objectio-

nem.

Objectio

3.

Resp. ad

objectio-

nem.

Objicitur 3. Composito tribuuntur actiones. Materia non est com-  
positum. Quia est pars compositi: Pars autem non est totum, ut constat.  
E. nec respectu compositi agit, sed patitur. Respon. A comparato ad ab-  
solutum, non valet consequentia. Licet enim materiæ tales actiones non  
competant, quales composito: tamen inde non sequitur, quòd profus  
nullæ sint actiones materiæ. Deinde distinguendum est inter actiones  
completas, & incompletas. Completæ actiones tribuuntur composito,  
incompletæ verò tribuuntur materiæ. III. Distinguendum inter prin-  
cipium, quod & principium quo. Principium quod activum est totum com-  
positum: Principium verò quo est forma & materia à forma informata.  
Quoniam igitur objectiones laborant elencho, partim opposito-  
rum. partim consequentiæ, repetimus nostram  
thesin: *Materia est causa.*

DIS